

1432

ET JURE MERETRICUM IN EUNDEM.

39

liberalitatis poenas potius sentire debet, quam per allegationem
 propriae turpitudinis ad repetitionem dati admitti. Sed cum
 meretrix quaestum acceptum in conscientia retinere nequeat, cu-
 nam istum restituere debeat, in quaestione jam venit. Et quin
 Scortatori, à quo profectus fuit, non sit restituendus, extra con-
 troversiam videtur esse; cum dominio ejus & voluntate sua &
 dispositione Juris semel excederit, nec is per legem impedientem
 ad ipsum reverti possit unquam. Idcirco necessario concluden-
 dum erit, quod liberis ceterisque personis, quibus naturalis ratio
 quasi lex quaedam tacita bona addicit secundum *L. 7. pr. ff. de
 bon. damnat.* per scortatoris vero impiam donationem à mere-
 trice interceptum est, quod ipsos capere oportebat, quicquid ei
 datum fuerit, reddendum sit *arg. L. Scortatores 1. C. de Natur. lib.*
ubi, quod à viris superioribus dignitatibus constitutis dona-
 tum fuit vilissimis concubinis, vel ex hisce susceptis liberis, re-
 trahitur, & soboli legitimæ, vel parentibus, vel his non amplius
 superstibus, fratribus ac sororibus jus revocandi conceditur.
 Sed his deficientibus, meretrix non melius consilium ad exone-
 randam conscientiam suam capere potest, quam si omnem qua-
 estum suum pauperibus sine ulla deminutione restituat; prout hoc
 iis suggeritur in *c. de hoc 11. in f. X. de Simon. add. Pet. Molignat.
 de Retention. qu. 318. Cludius in Commentat. ad tit. de Condict. ob
 turp. caus. cap. 3. n. 11. seqq.*

Quod si vero nihil quidem meretrici pro actu illo turpi do- 17
 natum, sed aliquid tantum promissum fuerit, ad illud petere pos-
 sit meretrix, vulgo disquiri solet. In quo resolvendo intricate
 pariter ac tumultuarie Doctores versantur, aliis simpliciter negan-
 tibus, affirmantibus aliis. Nos eorum sententiæ accedimus, qui
 meretrici nullum plane concedunt actionem, si quid ei disertis
 verbis pro actu fornicationis promissum, aut in cautione desuper
 data causa illa turpis expressa fuerit; moti generali illo princi-
 pio, quod stipulationes turpes nullius sint momenti, nec ulla ea-
 rum sit obligatio *S. 23. l. de V. O. L. generaliter 26. ff. eod. L.
 7. §. 3. 7. & 10. ff. de pact. add. L. 5. C. de LL. l. 10. ff. de cond.
 insti.*